

I. N. 7.

EXERCITATIO METAPHYSICA

*De*

# PRINCIPIO

& eo, cuius est Principium  
POSTERIOR

*Quam*

Annunte Principio omnium primo,  
In florentissimo ad Albim Lyceo,  
publicè tuendam exhibet

*PRÆSES*

M. GEORGIUS MEIER

Lunæburgâ-Saxo

*RESPONDENTE*

JOHANNE VVOLFGANGO RENTSCHIO

Pegnesô-Francone,

*In Auditorio Minori*

Ad diem 8. Decemb. horis pomeridianis

*Anno χρ̄ιστογρονίας 1658.*

ll. diss. A  
62

TYPIS JOHANNIS HAKEN.

36.

~~57.6/~~  
a. LXXV. 62.

EXERCITATIO METAPHYSICA

I. N. J.

# PRINCIPIO

& eo, cuius est Principium  
POSTERIOR

Annuntiet Principio omnium prae  
In florulentissimo ad Albinus  
publice traditam exhibet

1727



M. GEORGIUS MEIER

Lunenburga-370

RESPONDENTE

IOHANNI WOLFGANGO RENTSCHIO

Pagnos-Francos

In Auditorio Minoris

Ad diem 8. Decemb. horis pomeridianis

Anno 1727

Typis IOHANNIS HAKEN

40.



—<sup>11</sup>N

## Continuatio

*Th. VI. Principium (1.) est vel causale vel non causale (2.) vel Essendi vel cognoscendi.*

§.1. Quidditatem in præcurrentibus enervatam obvio velut complexu excipit DIVISIO. Hæc n. cum præcipuum sit indagandæ veritatis instrumentum, ut honorificè de eâ sensit in Phædro suo Præceptor Aristotelis, prætereunda minimè est. Quando itaque latius patere Principium causam jam supra dedimus probatum, non possumus non *Principium* dispescere in *Causale* vel non-causale. CAUSALE est, quod verè ut causa in suum influit effectum. Dicitur aliàs *Principium cum dependentia & principiati illatione, vel cum influxu causali*. Et hoc principium, quia cum causa recurrit, totuplex est, quotuplex est causa, omnesque causæ principia causalia rectissimè audiunt. Sic v. g. pater generans filium, Architectus ædificii sunt principium. NON-CAUSALE est, quod prioritatem quidem inducit, nullam tamen dependentiam, nullam causalitatem involvit. Unde & *Principium sine dependentia aut principiati illatione s. sine influxu causali* salutatur. Sic punctum primum lineæ est principium. In *Metaphysicis* Ens est principium aliorum attributorum, unaque Entis affectio alterius quæ inde fluit (unitas e. g. respectu simplicis ac Compositi) vocatur principium.

§.2. Altera Principii divisio est, qua illud vel est *essendi vel cognoscendi*. *Principium essendi* est, quod alteri suum dat esse, sive per productionem s. generationem. s. conservationem s. modo alio. Ita hominis essendi principia sunt Deus, Sol, parentes, materia & forma, alimentum &c. *Principium cognoscendi* est, quod dat cognitionem alterius, dum ex illò velut per se notò, id, quod minus notum est, elucescit. Sic creatorem dat cognoscere structura mundi, fumus ignem, loquela hominem, bonum opus bonum artificem. Et hoc iterum *aut est cognitionis distincta, quando ea*

do ea quæ naturâ sunt notiora, etiâ cognitione sunt priora, ita ut nos in alterius naturâ posterioris cognitionem deducât: aut confusa quando quæ naturâ sunt posteriora, seu notiora secundum nos, assumuntur ad illorum, quæ à parte rei sunt priora, probationem.

§. 3. Datam hanc divisionem vitiosam proclamant viri non postremi. Dicunt i. *Membra ejus non esse invicem opposita*. siquidem essendi principium idem quoque sit principium cognoscendi teste Jac. Zabarella l. de 3. præc. c. 4. Respondemus (α) dist: inter ea quæ sibi opponuntur *materialiter*: & ea quæ *formaliter*. Concedo, quod secundum Maximam Philosophicam, *A quo quid habet quod sit, ab eo etiâ cognoscatur*, adeoque ex essendi principio, percipiamus sæpe numero id, cujus est principium. Ita ex causa cognoscitur effectus. Novimus n. pomum pomum ferre non pira, licet poma non viderimus. Et sic *materialiter* conveniunt. Interim tamen ad oppositas quoque species sufficit, si opponantur sibi *formaliter* licet vel maxime ( à priori si instituat demonstratio quæ à medio materiæ, formæ, efficientis desumpta) *materialiter* invicem se cõtineant, & à parte rei identificentur. Etenim, quem fugit, unam eandemque animam rationalem hominis esse principium essendi, & nihil minus facere simul ad ipsius docilitatis cognitionem? Quis v. a. animam, prout istam præstat cognitionem, *essendi*, ac prout homini cõcedit esse, *cognoscendi* dixerit principium? Diversus itaq; respectus salvat oppositionem. Neque (β) quicquid à parte rei s. *materialiter* est principium in essendo, idem statim cum principio in cognoscendo. Quando namque demonstrationes nonnunquam desumuntur à posteriori s. ab effectu, qui per principia in essendo constitutus est, atque hic effectus est in cognoscendo principium, principio in essendo oppositum, quivis videt, principium in essendo, ne à parte rei quidem cum cognoscendi principio esse confundendum. Ubi tamen (γ) haud eo inficias, voculâ *Esse* latissimè & impropriè acceptâ, ut *reale*, quod res habet extra mentem, & *ideale* s. intentionale esse, quod in mente habet sub se comprehendat, dici suo modo posse, principia cognoscendi sub essendi principiis contineri, prout

prout nempe menti ideale aliquod esse ingenerant. Obvertunt  
 2. *Divisionem hanc inadæquatam suo esse diviso*, cum non mentio  
 hic fiat principiorum *fiendi & conservandi*, quæ tamen neque ad  
 constitutionis neque ad cognitionis principia referri valeant.  
 Ast in vado res est. Negatur minor, Adæquata diviso hæc est  
 diviso, nullumque unquam datur principium ad alterutrum  
 ejus quod referri minus possit membrum. Distinguendum a  
 hic est inter principium essendi *γενικῶς* s. *generaliter*, & *ειδικῶς* s.  
*specialiter* acceptum. Non hoc sed isto à nobis modo attendi-  
 tur. Hinc quamvis *in stricto significato* principio fiendi ac con-  
 servandi opponatur, cum *essendi principia* propriè sint ex qui-  
 bus constat aliquid intrinsecè: *fiendi* à quibus aliquid produ-  
 citur. *Conservandi* à quibus in esse aliquid conservatur; Non  
 tñ. *in generali*, ubi principium essendi nobis definitur quod  
 esse alteri dat quocunque modo. Sed excipiat aliquis: *Omne*  
*principium essendi & cognoscendi est causa*: at dantur (uti supra  
 constitit) *principia non-causalia*. *E diviso nostra non omnia inclu-*  
*dit principia, & per consequens non est adæquata*. Verùm *ἄνωτον*  
 hoc est *ἄνωτον* omne principium essendi ac cognoscendi esse  
 causam. Sunt certè & illa essendi principia, quæ causæ sunt  
 minimè, attestante Scheiblero l. d. n. 60. Deinde dari principia  
 non-causalia, vel unico Dei Patris exemplò, qui Filii quidem  
 principium, non a. causa existit, contra Franciscum Bonæ  
 Spei part. 1. Phys. tract. 1. dub. 1. resol. 1. & tract. 2. dub. 1. suffi-  
 cientissimè probatur.

§. 4. Addunt nonnulli divisionem Principii in *Principium*  
*Quod, & Principium Quo*. Illud dicitur causa principalis, itè  
 totum suppositum s. compositum. Sic v. g. parentes dicuntur  
 principium quod filiorum, dux victoriæ, gubernator navis, i-  
 gnis ustionis, Deus Scripturæ Sacræ. Hoc v. appellatur medium,  
 quo principium quod fit efficax, s. quod à principali causa ad-  
 hibetur in producendo effectū. Sic e. g. semen parentum re-  
 spectu filii, milites respectu victoriæ, calor respectu ignis, Ho-  
 mines sancti respectu Scripturæ Sacræ dicuntur *principium quo*.  
 Sed hæc diviso altis non placet, tum quod Principium cū sub-  
 jecto, quod rectè in *subjectum Quod & Quo* dividitur, confun-  
 datur

atur; *tum* quod etiam in exemplo allato quo homines dicuntur Scripturæ Sacræ s. revelationis *Principium Quo* abusive sic dicantur. Nos nostrum hoc loco iudicium suspendentes suam cuique de litigio hoc permittimus & ferendam sententiam & defendendam.

*Th. VII. Id, cuius est principium est posterius huius affectionis membrum, quod aliunde procedit quocumq; modo.*

§. 1. Explanatō haecenus *Principii* vocabulo non potest simul non inclarescere *id, cuius est principium*; siquidem hæc oppositorum semper est insoles, ut juxta se posita & elucescant magis, & se explicent ac declarent mutuò. Evolvenda tamen brevibus in frontispicio circa definitum est *genuina vocis usurpatio*. Nimirum, quodnam verum *Principii* correlatum sit, varii disceptant variè. Svarez, Stahlius, Vilhelmus Stratemanus in *Theat. Met. P.* Voet. in *1. Phil. ref.* cum assieclis ad potissimum respicientes analogatum *Principiati* terminum retinendum propugnant acriter. Fonseca tamen lib. 5. *Met. c. 1. q. 3. s. 4.* Scheibl. *l. 1. Met. c. 21. n. 4.* Ex Dn. D. Calovius in *M. d.* Spenglerus in *exc. Met.* Martinus Posnerus in *Sap. 1.* & cum illis alii periphrastica heic utendum esse censent circumlocutione, quâ illud effertur per *id, cuius est principium*. Rationem *περιλέξεως* suppeditant istam, quod idoneum aliud vocabulum quo exprimi oppositum *Principii* commodius possit, minus suppetat. Nam *principiatum* dependentiam aliquam ac causalitatem inferre videtur & habere se ut merè passivum. Hoc a. non omni correspondet principio; sed principio saltim essendi, quod ex internis constat principiis. Et licet vel maximè in rebus creatis habeat locum, in divinis tamen minimè. Repugnat quippe τῷ λόγῳ & Sp. Sancto passivè à Patre dependere. Repugnat Deum esse & *principiatum* esse.

§. 2. Nos in dijudicando hoc litigiò, arbitriisque tot interdici<sup>s</sup> sidentes summos viros componendis, veritatem ipsam iudicem statuentes acerrimum, liberum cuilibet hac in re examen relinquimus. Interim è duobus si eligendum nobis unum sit.

fit, quamvis vocem *Principiati* nullo hic modo adhibendam esse. Haud tamus defensam, in illorum tñ. sententiam, periphrasi qui utuntur, commodius ac tutius quidem descendere nos posse, adductæ persuadent rationes. Quibus addi & hoc mihi posse videor, istos, *Principiati* vocem qui omninò retinendam esse urgent, vel nolentes in expressam incurrere ἀντιλογίαν dum quidem Filium Dei & Sp. S. principiatum dici orthodoxè negant, principiatum tamen cum principio omnem entis exhaurire latitudinem contra semetipsos minùs rectè propugnant. Neq; obstat, quod cum P. Voet. in 1. Phil. ref. c. 20. §. 1. p. 419. terminum hunc ab omni liberandum esse imperfectione clamitent, ut æterno Dei Filio applicari queat, cum (1.) terminos quidem Philosophicos non in materialitate sua ac impuritate, sed in formalitate ad res sacras esse applicandos ambabus largiamur manibus, hæc tamen supposita cautione, ut ne quocunqve, sed debito ac competenti id fiat modo, ne vel vis inferatur veritati, vel terminorum natura prorsus evertatur. Hinc (2.) qn. P. Voet. d. 1. admodum latè hunc sumendum esse terminum addit, illud τὸ admodum, nimium longum est, justum excedens modum. Fallit n. ac fallitur in eo Voetius, quod vocabulum hoc eò usqve extendi posse putat, ut Filio simul Dei applicandum orthodoxè veniat. Sed de hoc infra in sect. 2. pluribus.

§. 3. Dictis in super tragulam intorquet Stahlius in expl. tab. 5. Met. frigidamque ut inter autores suffundat, objicit sequentia: *Non videmus, ait, cur negemus principiatum esse correlatum principii. Aristoteles lib. 7. Categ. docet, quomodo comparata esse debeant correlata, si non habeant nomen. Nempe derivandam esse à relati nomine tale nomen, quod complectatur omnia illa ad que relatum refertur, & ita quidem ut sicut relatum refertur ad ipsum, ita ipsum referatur ad relatum, Rem declarat exemplis. Ab ala, inquit, derivatur alatum, à clavo clavatum, à capite capitatum. Jam hæc sunt correlata ut detur ἀντιστοιχίῃ hoc modo: Clavus est clavati clavus & clavatum est clavi clavatum. Caput est capitati caput, & capitatum est capitis capitatum. Ex his tandem talem necit. discursum:*

Quod.

Quodcunque vocabulum ad nomen principii ita se habet, sicut capitatum ad nomen caput, & clavatum ad nomen clavus, illud est verum correlatum principii.

Ast Vocabulum Principiati ita se habet ad nomen principii, ut se habet nomen capitatum ad caput &c. quod derivatio ipsa innuit. E.

Idem cum & ex Stahljo urget M. Wilhelm. Stratemanus in Theatro Metaph.

§. 4. Verum præterquam quod defensio istæc falsa inspergat veris, Herculis cothurnos aptare videtur infanti. Nam quis (1.) ex tripode hæc credat dicta, ἀλόγως, & nullâ sine ratione laudatos autores principiati esse correlatum principii ire inficias. Quid est quod illud haud esse ἀναπολόγητον ex allatis supra satis constitit. Falsum ergo est, quod Stahljus nullam se scribit circûlocutionis videre causâ, quâ videre forsitan noluit. Aristotelis (2.) quod attinet autoritatem tantum abest, ut causæ adversariorum patrocinetur, ut contra eandem potius sit adducenda. Non n. simpliciter Philosophus omne correlatum à relati nomine derivandum contendit, sed tale, addit notanter, quod complectatur omnia ista, ad quæ relatum refertur. Modus quippe denominandi respondeat modo inexistenti, ut benè Dutrieu in manud. Logicâ p. 243. addita animadv. 31. & Danhauerus in ep. dial. p. 28. Hoc de principiato affirmari nequaquam posse demonstratum jam antè satis est, ut ita necessario in locum ejus idoneam surrogemus circumlocutionem. Ut taceam exempla allata penitus esse ἀλλότρια neque unquam sub nomine affectionis venisse. Ec quis n. alam & alatum, caput & capitatum &c. Entis diceret affectiones? (3.) Argumentum falsa niti videtur hypothese, quasi nullum daretur reverà tale disjunctum entis attributum, nisi correlatum derivetur à relato, quod tamen uti contra partem adversam est: ita quamplurimæ etiam affectiones ut simplex & Compositum, Necessarium & contingens &c irritum esse ostendunt evidenter. Sed (4.) ut directè tandem respondeamus ad argumentum, neganda est assumptio. Non certè ita se habet Principiatum ad principium ut capitatum ad caput, clavatum, ad clavum, cū hæc cū

op-



oppositis penitus reciprocentur, istud nequaquam. Ad probationem minoris dist: est *in ser derivationem Grammaticam: & Logicam*. In hac semper convenientiam cum formâ quærere in principio ac fine vocabuli nugari est, teste R. de Arriagâ tract. 1. de univers. q. 3. Non hic syllabæ ac literæ, sed rei natura vocumq; significatio potius sunt spectandæ. Nec (5.) prætereundum illud est majorem etiam fallere in eo, quod supponit, quasi disjunctæ affectionis membra ex solâ ad oppositum relatione sint æstimanda, Examina cum primis ea sunt ex relatione ad subjectum, quod est Ens, idque quomodo afficiant observandû est maximè. Quæ cum ita se habeant (6.) pro nostra statumina sententia argumentum partis adversæ hunc in modum invertimus:

*Quodcumq; vocabulum non ita se habet ad nomen principii, neq; habere ex natura vocis potest uti alatum ad alam, &c.*

Illud verum principii correlatum non est.

Sed principiatum ita se non habet E. Major, licet inversa eandem retinebit, quam habuit antè, veritatem. Minorem supra probavimus. Hinc stantibus præmissis, stabit conclusio.

§. Circa ipsam descriptionis evolutionem notandus itidem est. I. *Conceptus genericus, qui est posterius affectionis disjunctæ membrum.* Uti sc. principium licet non formaliter tamen materialiter licet non semper naturâ, dignitate vel tempore, tamen ordine, origine atque enumeratione, eo cujus principium est, verè dicitur prius: Simili etiam ratione id cujus est principium, principio erit posterius ac proinde *posterius affectionis membrum insignitur, nec non op. d. c. per eundem terminum ceu latiorém explicatur.* II. *Conceptus differentialis sistit partim materiale, quod cum principio idem, ipsumq; ens est, utpote in quo Id, cujus est principium, radicatam suam habet essentiam. Partim formale, quod à principio est diversum.* Facili a. negotio formalis ejus ratio ac natura ex opposito suo principio intelligitur, siquidem & hoc ita Ens afficit, ut procedat aliunde, non per dependentiam semper aut efficientiam, sed quocunque alio modo. De requisitis eius, cuius est principium, ut multum laboremus necessum non erit, cum illa ex dictis colligere sit facillimum.

*Thes. VIII. Id, cujus est principium, tot, quot modis principium rectè dividitur.*

§. Divisio Ejus, cuius est principium ex oppositi, Principii sc. divisi

B

one-

one quam optimè dijudicatur, utpote cui, quod habet, debet Totu-  
plex ergo est, quotuplex erat principium. Usitatissimè tamen (ut  
habet in Metaph. divina D. Calov.) relationem dicit ad principium co-  
gnoscendi & essendi. Atq; sic locum invenit (a) in mysticis. Ita v. gr. Fi-  
lius Dei est persona in Deitate, cujus principium est Deus Pater, Spiri-  
tus S. ea est persona cujus principium est Deus Pater & Deus Filius (b)  
in Naturalibus, pro-ut illud, cujus est principium dicitur vel creatum,  
quomodo Protoplasti immediatè à Deo sunt creati; vel genitum uti o-  
mnes posterii: vel artefactum ut res artificiales, Quorum cum quodlibet  
agnoscat principium, jure etiam id, cujus est principium vocatur.

§. 2. Ut tamen potiores breviter attingamus divisiones, dici-  
mus. *Id cujus est principium esse (1.) vel in essendo vel cognoscendo tale.*  
*Illud est omne causatum quod ab alio in essendo dependet ut v. g. do-*  
*mus est architecti principiatum essendi. Sic corpus naturale est princi-*  
*piatum in essendo. Hoc est conclusio aliqua orta ex aliquo principio.*  
*(2.) Id, cujus est principium, vel est causale & propriè dicitur principia-*  
*tum, quod à causâ dependet, sicuti omnis effectus. Vel non-causale, ve-*  
*lut immortalitas respectu immaterialitatis & immutabilitatis se habet.*  
*Dies respectu auroræ.*

## SECTIO II. ΕΛΕΓΧΤΙΚΗ

*Problem. I. An & quomodo Pater in divinis principiū  
Filii & Spiritus Sancti, & Filius cum Patre Spiritus S.  
principium tutò & orthodoxè dici possint?*

§. 1. Anxiè semper Scholasticos inter Doctores ζήτημα hoc fuit  
agitatū. Damasc. l. 5. de Orth. fide c. 4. eumq; secuti Thomas Aquinas  
in p. 1. sum. q. 32. a. 3. & de potentiâ Dei q. 40. a. 4. Item 1. dist. 9. art.  
1. (quamvis etiam affirmativam defendere videatur l. p. q. 33. a. 1.)  
Capreolus l. sent. dist. 29. in negativam descenderunt sententiam. Sco-  
tus contrâ 1. dist. 12. q. 12. Fonseca lib. 5. Met. c. 1. q. 3. s. 2. Svaretz.  
tom. 1. Met. d. 12. s. 1. Rod. de Arriaga lib. 1. Phys. c. 1. s. 1. Paul. Voet. l.  
d. cap. 19. 20. fovent affirmativam.

§. 2. Tremendum & adorandum SS. Trinitatis est mysterium, quo  
de ne perversi quid nobis imaginemur, cavendum sedulo. Notetur i-  
taque 1. *Principium hic non cum, sed sine influxu causati, non in causalita-*  
*te, sed*

re, sed in sola emanativa & essentia originatione esse accipiendum. Sicuti namque Pater nunquam Filius aut hic Spiritus S. causa est: Ita nec Pater nec Filio principium cum dependentiæ illatione s. influxu causali, sed citra ullum influxum causativum aut dependentiam, quatenus nudum tantum ordinem, vel meram originis prioritatem importat, venit assignandum. Etsi enim Pater Filium & Spiritum S. ceu principium ordine & origine quasi antecedit, & hi sequantur ipsum Patrem, non tamen ab eo dependent; sed originaliter saltem, non causaliter à Patre tanquam Deitatis fonte eorum essentia esse dicitur. At verò dicat aliquis, quid ergo est illa ordinis vel originis prioritas? Facilius, fateor, dictu est, quid illa non sit, quàm quid sit; optimè tamen eam aliquo modo describi posse arbitror, secundum quàm unum est alterius principium ab ipso procedentis, cum omnimoda temporis, nature, dignitatis ac cognitionis simultate, quicquid etiã in contrarium disputet R. de Arriaga disp. 7. Phys. §. 7. n. 83. p. 239. 2. Nos non cognitionis aut locationis principium hic velle intellectum; sed partim ordinis partim naturalis enumerationis ac relationis. Nunquam certè Pater ratione loci prior aut vicinior est Filio; sed quia in Sacri codicis ordinatione, librorumque Symbolicorum autoritate Pater prior Filio & Filius, Sp. Sancto ordinantur ac numerantur. 3. Removendum itidem principium quod consistit in prioritate nature: atque illud quod qualemcumque, saltem exigit prioritatem esse acceptandum. Imperfectionis etenim foret, Filium Patre naturam dicere posteriorè, uti absurdus absurdè alicubi statuit Burgersdicius. Ista namque nature prioritas concedenda esset, aut, quia daretur prioritas secundum existendi consecutionem, aut secundum causalitatem. Non verò istud, quia positò Patre, ponitur necessariò Filius, ac Pater sine connotatione ad actualem Filij existentiam, nequit concipi. Non hoc, quia Patrem esse Filii causam, εἴματα ἐστὶ βλάστημα. Tandem 4. Principium hic non spectari cum prioritate dignitatis aut majoris perfectionis; sed quod equalis perfectionis, equalis prestantie ac nobilitatis est, cum Pater Filio ac Spiritu S. non sit dignior, neque hi indigniores illo, sed ratione entitatis unum planè sint ac idem. Vera itaque hic credenda est ὁμοσιία, nulla secundum reprobendam Arminianorum aut Photinianorum σκολωδοξίαν subordinatio introducenda.

§. 3. Atque ita explicatò modo, non videmus quid prohibeat

quò minus Deum Patrem in divinis Filii ac Spir. Sancti, & Filium cū Patre Sp. Sancti orthodoxè dicamus principium, cum idem evincat (α) data à nobis genuina Principii descriptio, qua alterum ab altero procedere enunciatur quocunque modo. Filius enim à Patre procedit *sum ratione personæ*, utpote qui non est à se ipso, sed à Patre per generationem non ἀγέννητος sed γέννητος est: tum ratione *essentiæ*, teste ipso Christo Joh. 5. v. 19. & 30. Sic & Spir. Sanctus à Patre & Filio est per processionem. Sicuti enim Pater Filio, ita uterque Spiritui S: eandem numero essentiam communicarunt. (β) Pia antiquitatis comprobatio, quam Patrem in divinis Filii esse principium piè credidisse doctorum latet neminem. (γ) Accedit aliorum saniorum Philosopho-Theologorum Consensio. Eandem præter Scotum, Fonsecam, Svarezium, P. Voetium, loc. cit. Arriagam disp. 7. Phys. l. 1. tenent sententiam B. J. Martini, Sceiblerus, Gutkuis Scharfius, Calovius, Ebelius, Chr. Matthiæ, Stierius, Spenglerus Pruknerus, alii.

§. 4. Discutienda restant nonnulla contradicentium ἐναντιώματα. Obvertunt 1. Contrarium hoc nostrum esse assertum veritati essentiæ divine qua ἀχρονὸν καὶ ἀναρχόν est, omnis temporis principiique expers. Verùm Resp (α) dist. inter essentiã καθ' αὐτό: & inter eam ratione κοινωνίας spectatam. Non secundum illud, sed hoc habere principium à nobis asseritur; siquidem Pater eam ipsam quam ἀγέννητος in persona suã essentiã habet, per generationem quoque communicavit Filio, ut eandem in sua persona haberet γέννητος dicente Matthia disp. 5. Met. Ex quo observandum (β) est duplici respectu considerari posse essentiã divinam vel ἀπαύτως in se ac sine ὑποστάσεων respectu, quatenus neque generat neque generatur sed est à seipsã. Vel πρόστι, relativè in ordine sc: ad personas prout individuata quasi ac personata est (ut idẽ loquitur) caractere hypostatico. Et in hoc tantum sensu essentiã divina gignēs vocatur. Dicit: hoc modo pater Filio erit major, Resp. nullo modo, quia hic originis principatus Patri non ratione essentialium attributorum, quæ Dei (ut fieri sic liceat) constitutiva sunt; sed ratione proprietatum personalium, quæ personarum sunt constitutiva, convenit. Quamvis itaque personales si respicimus proprietates, eandem eodem modo non habeat essentiã; respectu tamen essentialium attributorum, Filius æquè infinitus ille ac æternus Deus est, unã cum Patre naturaliter omnipotens, cum eam ipsam quam Pater habeat essentiã,

essentiã,

essentiam, in simul habeat Filius & Sp. Sanctus. Nulla itaque essentiae hic fingenda diversitas est, sed diversitas tantum modi essentiam illam unam eandemque habendi. Et quis tandem ignorat, prioritatem ordinis non inferre de se dignitatem aut excellentiae prerogativam. Nam qui prior est in ordine aliquo non statim eo qui sequitur est dignior, cum & inter ea quae ejusdem sunt essentiae saepius detur ordo prioritatis. Sic v. gr. Veritas transcendentalis est prior bonitate, non tamen dignior. Urgent. 2. *Si Pater Filii est principium, adeoque eo prior, Filius non erit Ens primum, adeoque nec aeternus & proinde nec Deus, sed fallit (1.) connexio.* Pater enim & Filius non distinguuntur ut ens & ens, sed ratione personarum, ordinis & originis, ratione substantiae, non essentiae. Neque (2.) omnis prioritas repugnat enti primo, sed quae quiescit aut tempore est. At ne ultra hic a nobis admittitur, non prioritas temporis quia in aeternitate non est tempus neque duratio. Neque natura, haec enim semper diversam subinfert essentiam, quemadmodum Sol distinctam a lumine habet naturam. Pater a. & Filius commune habent esse divinum. Intelligenda proinde h. l. vox prioritatis est non specialiter, sed generice, communiter & indifferenter, prout ab allatis prioritatis speciebus praescindens quamvis aliam ordinis ac originis introducit prioritatem, ut iste respectus etiam inter aeterna esse non repugnet. Ubi tamen haud arbitrarium plane ordinem subinno, ut quando me verto ad dextram vel sinistra. Sed talem, qui habet fundamentum in natura (3.) Adde & hoc, in prolato argumento committi elenchum oppositorum, cum Enti primo adequatè opponatur dependens vel creatum, Filius autem Dei etsi Pater ejus sit principium neque est ens dependens, cum non processio causalis atque effectiva ei adscribenda sit, sed quae est absque causalitate ac dependentia talis; neque Ens creatum, cum ipse sit creator. Opponunt 3. *Quarum relationum proprietates sunt simul, eorum nullum est principium.* Resp. repetenda hic est distinctio inter principium cognitionis, & ordinationis. Et si non ibi cognitionis, tamen ordinationis principium locum habere optimè potest. Nihil n. obstat, quo minus essentiae habeant identitatem illam n. quamvis respuat principium causale, non tamen illud quod sine causali influxu vel non-causale est. Regerunt 4 *hoc modo Filium non fore autotetov.* Sed neque istud a veritatis nos deducit tramite

Duobus enim modis λόγος in divinis consideratur *vel abstractivè*, in se, & sine Patris respectu, & sic revera αὐτόθεος existit: *vel concretivè* cum tali ad ὑπόστασιν respectu & sic non à se ipso sed à Patre habet vitam Joh. 5. v. 26. neque αὐτόθεος dicitur.

*Problem. II. Numquid ergo Filius quoque orthodoxè vocatur principiatum Patris?*

§. 1. Ita Græcos quosdam statuisse Doctores attestatur non modò Thomas 1. 2. q. 33. a. 1. sed & Eusebius, qui lib. 4. demonstr. Evang. Filium Dei appellavit ἐσιτάμενον, Damascenus qui lib. 1. de Orth. fide c. 13, esse ἀνάριθον Patri, ἀίτιατόν v. competere Filio ac Spiritui S. expressis innuit verbis. Quorum commoti auctoritate alii tam Philosophorum quàm Theologorum sicuti Patrem Filii principium: ita & Filium Patris principiatum (in lato tamen significato) prout à principii ratione omnis remota sit imperfectio) tuto & orthodoxè vocari posse existimant. Ita docet P. Voet. in Prima Phil. reform. c. 20. p. 419. Becanus in tract. Theol. Schol. Ebelius in coll. Met. d. 22. p. 378. Prucknerus compend. Met. alii.

§. 2. Verum enimverò, aliud longè sana nobis per suadet ratio quàm nihil nobis Christi gloria meritò est antiquius. Hinc ne cum Arrianis, Eunomianis, Mahumeristis, Photinianis & pessimis eorum cōplicitibus æternum Dei Filium ex Deitatis albo expungamus, vel saltim illis cavillandi summam & infinitam Filii Dei Deitatem prabeamus ansam, planè cum D. J. Martini, Scharfio in Th. Transc. D. Calovio, D. Matthia, Spenglero, negativam nostram facimus.

§. 3. Probamus v. eam I. quia non omne, quod habet principium dicendum illicò principiatum est, ex dictis suprà. II. quia omne principiatum subinfert dependentiam in essendo, quam absque insigni quadam imperfectione concipere nunquam possumus. Nequaquam enim in latino sermone generalem istiusmodi admittit significationem, sed perpetuò istum involvit modum, quod à principio sit dependenter. Ecquis autem pronunciare istud citra divinæ ipsius

ipſius Majestatis læſionem valet, qui quoniam eandem cum Patre  
 habet eſſentiam nullatenus ab ipſo eſt dependenter. Non enim audi-  
 endus hic nobis eſt abſurdaster Franc. Bonæ Spei, qui defendens no-  
 men cauſæ in divinis tenere locum part. 1. Phyſ. tr. 2. diſp. 2. de cauſa in gene-  
 dub. 1. pag. 81. peſſimè contra Conimbricenses diſputat *ly dependere eſſe in-*  
*differens ac commune ad dependere dependentiã neceſſaria conjunctionis,*  
*ita ut unum non poſſit eſſe ſine alio: & ad dependere dependentiã invol-*  
*vente imperfectionem.* Illam, præeuntibus ſeduc̄toribus Ruizio & Alarco-  
 ne tr. 3. de Trin. diſp. 3. cap. 2. reperiri in divinis æſtimat: *banc verò ſolum in*  
*creatis.* Aſt abſurda hæc eſt blaſphemia. Nulla in Deitate habet locum  
 dependentiã, ſive illa *cauſalis* ſit, ſive, *ſubjectiva*, ſive *relativa* ſive, *objectiva*.  
 Nam ( $\alpha$ ) *aut abſoluta* illa erit, *aut contracta ac reſpectiva*. Non illa (ut qui-  
 dam volunt adverſarii) quia eſſe dependentiã & eſſe abſolutum quid, eſt  
 eſſe ferrum ligneum i. e. contradic̄torium. Neque hæc, quia perpetuò in-  
 volvit t̄m diverſam à quo dependet ac diſtinctã numero eſſentiam t̄m in-  
 æqualitatẽ, cum ſemper dependens debeat eſſe naturã eò poſterior, à quo  
 pendet. Neq; ( $\beta$ ) ſufficit (uti quidem putat Fr. Bonæ Spei) ad dependentiã  
 neceſſaria quædam conjunctio. Sic v. g. amicos inter ſinceros, neceſſa-  
 ria datur animorum conjunctio, qualis a. dependentiã? Inter aſſeres com-  
 binatos conjunctio eſt arc̄tiſſima, dependentiã nulla. III. quia omne prin-  
 cipiãtũ principio eſt naturã poſterior, id quod omnibus eſt in confeſſo. At-  
 qui Filius Patre naturã poſterior nō eſt. IV. Primitiva Eccleſia, aut puriores  
 etiam Patres nunquam ita ſunt locuti, cum quibus tamen ſentire ac loqui  
 noſtrã intereſt maximi. Prætereo V. contrarium divinas atteſtari literas  
 Prov. 8. v. 22. Apoc. 1. v. 8. & conſentientia cum iisdem ſymbola, Nicenum ſc.  
 Filium vocans de principio principium, Athanaſianum &c. Adeò veriſſi-  
 mum eſt Lombardi lib. 2. ſent. diſt. 29. pronunciatum, in hæc quando e-  
 rumpit verba: *Pater eſt principium ſine principio: Spiritus S. eſt principium*  
*de utroq; i. e. de Patre & Filio.* Sed hæc Theologorum committentes  
 foro, adducimus ſaltim ſaluberrimum, quod hoc de negotio nobis comu-  
 nicat, conſilium B. D. J. Martini diſp. Theol. Schol. in 1. art. A. C. diſp. 19.  
 q. 6. *Abſtinendum,* inquit, *ab his ac ſimilibus pbraſibus eſt, cum uti illis nulla*  
*rogat neceſſitas.*

6. 4. Diſcuſſo problemate adjungere illa juvat, quæ pro ſtabilien-  
 da adverſariorum ſententiã militare, noſtræ v. contrariari videntur. Obji-  
 ci poteſt 1. *Quicquid eſt ab alio, illud vocari etiam poteſt principiãtũ.* Aſt  
*Filius eſt à Patre E. R.* Eſt fallacia amphiboliã, eſſe ab alio, dicitur *vel cau-*  
*ſaliter,*

*saliter dependenter & effectivè: vel originaliter s. ordinaliter.* Si intelligatur prius, major est vera, minor falsa. Sin autem posterius, fallit major. Objicitur 2. à Joh. Homborgio Coll. M. d. 6. *Si datur principium quod est naturâ prius principiatô, dabitur etiam principiatum, quod principio non est naturâ posterius, sed verum antecedens E. & consequens.* R. (a) Argumentum hoc falsò supponit principium & principiatum exhaurire totam entis latitudinem quod falsum esse evicit thesis septima. (c) Connexio majoris est nulla cum contrariorum contraria sint consequentia. Non omne statim quod principium habet est principiatum, cum istud ne in iis quidè, quæ ordinis tantum servant prioritatem, obtineat, nisi abusivè prorsus accipiatur vox principiatu, dicente Exc. Dn. D. Scharfio in Theor. Transc. disp. 10. p. 548. Inferre quis 3. posset: *Cui competit formale principiatu illud etiam principiatum est, sed Filio & Sp. Scto. competit. E. Major firmo stat talo. Minor probatur ex principiatu definitione, quâ dicitur id, quod procedit ab alio quocunq; modo.* R. 1. Negominorem. Nam si Filio ac Spiritui S. tribueretur formale principiatu, illiq; dicerentur principiatu, sequeretur inde tres dari in S. S. Trinitate essentias, cum principiatum semper aliam dicat ac diversam à principio essentiam 2. Probationem quod concernit à definitione desumptam, si concedamus principiatum recte ita definiri (quamvis illud dubium valdè sit) tamen ibi per illud sub intelligendum est principale analogatum principii, in essendo nempe ac cognoscendo. Sed manum de tabula.

Tibi Deo principio primo, sit gloria!

*Ad Præstantissimum*

**DN. PRÆSIDEM**

**D**um primæ MAIERE Sacrarum ritè recludis,  
Ut summæ pateant Sophia tibi promptius, aufers.

*Benevolentia testande*

*Autogred.*

**Augustus Buchnerus, P.P. &  
Academiae-Senior,**



*Coll. diss. A. 75, misc. 62*